

Oratio de
mansuetudine, quam ...
In Regiâ Academiâ
Gustavianâ, quæ
Dorpati ...

Andreas Laurentii,

F1700 2558/36



National Library
of Sweden

36.
ORATIO
^{De}
MANSUE-
TUDINE:

Quam,
Deo Duce atq; Auspice,
In Regiâ Academia GUSTAVI-
anâ, quâ Dorpati est ad Embeccam,
20. die April. Anno 1639. publicè
in Auditorio Majori enar-
rabit

ANDREAS LAURENTII, Nyco-
pensis, Südermanniâ Svecus.

Dorpati Typis Acad. Anno 1639.

*Generoso, Nobilissimo, verè Magnanimo
& Strenuo Domino,*

DN. ENGELBERTO von Mengden/
Hæreditario in *Sabrâ & Rydha* / per Livoni-
am ac Ingriam à S. Reg. Maj. constituto ge-
nerali Commissario, Mecœnati suo
unicè colendo:

*Vi &
Politiss. Integerrimisq; Viris*

Dn. LAURENTIO *SRERRE* / in Gram-
matophilacio Arcis Dorpatensis Germanico,
Secretario maximè industrio:

Dn. JOST von *Sawen* / in Civitate Dorpaten-
si Aurifabro solertissimo:

Dn. JOHANNI *Sürgens* / Negotiatori per-
specto:

*Fautoribus & Amicis suis plurimum
dilectis, officiosè & amicè
D. D. D.*

Andreas Laurentij, Nycopensis.

Vitam, Incolumitatem & Felicitatem.

Mansueti Hominis anima, & privatâ & publicâ
in vitâ multam habet Quietem. Etenim, est
montis vertici consimilis, qui auram habet te-
nuem, puram verò solis radium, multas florum
amenitates, vernantiumq; pratorum & hortorum plan-
tis, & floribus frondentium, & aquis viridantium irri-
guis: & si quis sonus immurmurat, dulcem & multam in-
spersit audientibus voluptatem; aves canora, summis ar-
borum frondib; insident; Zephyrus arborum folijs sensim
aspirans, pinos & piceas facit jucundè susurrantes: Cùm
contrâ Mens à Mansuetudine remota, similis sit cuidâ
foro & tumultui, ubi multus euntium & redeuntium stre-
pitus, clamor animalium accedentium & abeuntium;
vox agasonis, ne conculcentur; strepitus argentariorum &
arariorum utrinq; eudentium, & his quidem molestiam
patientibus, his autem inferentibus. Hinc, quemadmo-
dum omnes oderunt, in quem harent jacula iracundia; ita
omnes & singuli de venerantur hominem, quem rancor nō
afficit, sed qui omnia æquanimiter sustinet, non irritat,
nec irruatur; non nocet, nec nocere cogitat. Mansuetus,
omnium benevolentiam sibi conciliat, & ad quietē viven-
dum charitatem. Et pulcrum est, Mansuetudine atq; ele-
mentia potius vincere peccantem, quàm armis; quia his

necessitate ut pareant homines inducuntur; illic verò voluntate: Et hic quidem, cum gravi sæpè jacturâ peccata corriguntur; illic, sine aliquo detrimento, delinquentes emendantur.

Qua ipsa pulchrè meditari cœpit, Doctrinâ Pietate & Humanitate Ornatissimus Dn. **ANDREAS LAVRENTII**, Nycopensis, Sundermanniâ-Svecus; ac doctè & methodicè à se conscriptâ Oratione, hodiè horâ 12, meridianâ in Auditorio Majori pro concione eloquetur.

Per illustrem & Generosissimum Dominum, Dn. **BENEDICTUM OCHSENSTIERNA**, L. Baronem in Ekebyholm & Söderboo/ Dominum in Rappien/ S.S. Reg. Maj. & Regni Sveciæ Archistabulatorè, per Livoniam & Ingriam Generalem Governatorem &c. Dominum nostrum Gratosissimum, humiliter;

Magnificum Dn. Rectorem; Illustres & Generosos Dn. Barones; Admodum Rev. Nobiliss. Consultiss. Experientiss. Clariss. & Excellentiss. Dn. Professores, Collegas nostros observanter colendos, reverenter; Nobilitate Generis, Doctrinâ & Humanitate Ornatissimos Dn. Studiosos, amicè invitatos & rogatos volumus, ut dicto tempore haud gravatim adsint. Intelligent, quod publica omnium Mortalium, qua sub unâ parente-Naturâ, est cognatio, vinculo Mansuetudinis potissimum delectatur. Per scriptum Dorpati, 20. die Aprilis, Anno 1639.

V. J. G. humiliter,
V. M. I. R. & C. reverenter,
V. P. & H. amicè colens,

LAURENTIUS LUDENIUS, Holsat. Ph. &
J. V. D. Poët. Cor. Professor Juris, Ora-
torix & Poëscos.



ORATIO
De
MANSVETVDINE.

Berillustri ac Generosissime Domine,
Dn. BENEDICTE OCHSEN-
STIERNA, Liber Baro in Ekebys-
holm & Söderbol Domine in Kaps-
pien &c. S. Reg. Maj. Svecia Ar-
chistabulator, & per Livoniam atq;
Ingriam Generalis Gubernator, Domine Gra-
tiosissime:

Magnifice Dn. Rector, Admodum Reveren-
di, Nobilissimi, Consultiss: Experientiss: Clariss:
Ampliss: Prudentiss: & Spectatiss: Viri, Patres
hujus Academia inclyti:

Nobilitate Generis, Doctrinâ & Humanita-
te Praestantissimi atq; Ornatissimi Dn. Studiosi,
Amici per dilecti:

Summum inter homines vinculum est Mansvetu-
do, uti dixere Veteres.

Sanè, omnia à patrum antiquitate benè dicta, ut
ob rei, quam in se continent, summam ac admiran-
dam gravitatem, singulare encomium merentur: Sic
praesens pronunciatum, omni observatione est dignis-
simum.

A 3

Etenim

Exord:
à dicto.

Laus dicti.

Sensu

Etenim in eo docemur, quod nos qui in hoc terrarum ergastulo vivimus, Mansuetudinem, omni ornatu fulgentem, induemus; ita ut apio molliores, matata hostia leniores, columba mitiores, cera tractabiliores simus, ac omnia metiamur charitate, & nihil faciamus immanius, nihilque inhumanius.

Ratio Sensu 1.

Id ita esse testatur Isocrates, vir insigni doctrina ac eruditione tinctus, quando in hac prorumpit verba: Moribus fac ut sis Comis, Verbis autem affabilis: Sicque omnia ex animi tui sententia procedent, pacemque invenies.

2.

Quod considerans Poeta, emphatice scripsit;

Magni custos Clementia mundi.

Transitio.

Sed ne forte mirum alicui videatur, quorsum instituti mei ratio tendat:

Narrationis initium.

Facile, qui in hoc mundo vivunt, recordantur, quod multi sunt, qui vindicta delectantur, & identidem in ore habent;

Est vindicta bonum vita jucundius ipsa.

Medium.

Interim, qui vivunt homines boni, pie dicunt; Amici vitia noveris, non oderis. Sicque Mansuetudinem amant atque sectantur.

Consequens.

Hinc sunt homines, qui communi tranquillitati, qui privatae quieti & publicae commoditati student.

Transitio ad Propos. Propositio.

Quod ut & nos unice sectemur; Mecum jam constitui ex hoc loco celebri, hoc concursu hominum doctissimorum, de praeclarissima virtute, Mansuetudine, verba facere.

Relatio.

Vos, A. omnium ordinum Spectatissimi & praestantissimi, qui praesentem in hunc locum confluxistis, demissa submissione & observantia oro, ut vestra benig-nitate

gnitate & favore, cœptis hiscè meis benevolè aspiretis, æquis animis adsitis, Orationi meæ benignè attendatis, nec mihi fraudi esse patiamini, si non pari ingenij dexteritate, pari eloquij claritate, pari verborum flumine, ac sententiarum pondere dixero, veluti suo quodam jure vestra perquirat expectatio; sed ut vestrâ æquanimitate mihi subveniatis, etiam atq; etiam submissâ animi deveneratione contendo.

Quod dùm exopto, A. I. quotquot adestis, qui studijs literarum à tenerâ ætate in hunc usq; diem strenuam operam impendistis, cognitum perspectumq; habetis, brutis animalib. Mansuetudinem non nisi improprie attribui.

*Arg. 1. quos
modis acci-
piatur.
1. Accip.*

Siquidem, Dn. D. Francius in Historiâ animalium de Elephanto nobis scriptum reliquit, quod animal, licet sit summæ magnitudinis multiq; roboris, tamen ex DEI bonitate, ne generi humano & reliquis omnibus brutis infinita bella & damna inferat, factum sit animal placidissimum, ita ut inter magna bruta animalia sit Mansuetissimum. Præterea, inquit: quod successu temporis adeò dometur hoc animal, ut gaudeat è manu rectoris cibum capere instar catelli. Parva etiam animalia occurrentia in grege, aliquandò Elephantis blandè & Mansuetè dimovet, ne per imprudentiam conterantur.

Ratio.

Ad vos meam dirigo Orationem, qui Philosophiæ practicæ ardentissimè incumbitis, & ex probatissimis scriptoribus summâ diligentia ac fide cognitu digna congeritis; ex optimis authoribus vobis quasi per manus traditum est, dari Mansuetudinem moralem.

Acceptio 2o

Etenim novistis, quod sit virtus, quæ versatur circa mores externos & actiones secundum virtutem in

Ratio.

CON-

conversazione tumultuosà ità institueudas, ut, quoad fieri potest, homo in hac vità civili placidè cum proximo vivat.

*Arg. 2. quæ
d. finitio.*

Nec est vera Mansvetudo, quandò quis nunciùm remittit omni iræ; sed est Mansvetudo virtus, quæ mediocritatam servat circa iram in vindicando & puniendo.

*Expositio. 1.
Ratio.*

Mansvetudo, ut contendunt, suam originem habet à Mansveto, quasi dicas, quòd quis manu sit assuetus.

Ratio.

Nam Mansvetus dicitur is, qui multis ærumnis & miserijs exercitatus, seipsum considerat, & cognoscit in hominibus infirmitatem, & condonat offensas.

Expositio. 2.

Nec verò quenquam vestrùm latere poterit, Mansvetudinem inter virtutes ceteri, eisq; jure optimo annumerari.

Ratio.

Etenim actiones, non à rectà ratione alienas, non pravas, non arrosas; Sed ex habitu electivo in mediocritate consistentes, gloriosas, admirandas, immortalitateq; dignissimas producit.

Expositio 3.

Hinc non adducar ut credam, aliquem inveniri tam ignarum, cui non innotuerit, Mansvetos animū suum posse demulcere lenitate, & Mansvetos injustæ iræ non indulgere.

Ratio.

Servant enim Mansveti in dictis, factis, & gestibus, mediocritatem conversatione dignam, & paci convenientem.

Expositio. 4.

Hinc hac opinione trahor, & sententiæ huic locupletissimi accedunt testes, quod Mansvetudinis cultores servant mediocritatem in vindicando:

Ratio.

Cum Mansvetudo sit, quæ facit, ut diligenter provideamus, ne cuiquam injuriam aut pœnam injustam,

nam, atq; immoderatam ex irâ inferamus; nec ab alijs læsi, vindictam illicitam exerceamus, aut appetam⁹.

Sed quæret quis? An Mansuetudinis mediocritas *Exposit.* consistat etiam in puniendo & severis pœnis aliquem devovendo?

Sanè, id nunquam negavero, cùm Divina & Hu- *Ratio.* mana jura nos admoneant, ut ab injusto judicio desistamus: neq; judicium muneribus corrumpi permit- tamus; Sed mediocritatem in vindicando observem⁹, & ratione officij coërceamus delinquentes, & pro delictorum quantitate & qualitate pœnam infligamus: siquidem, nimia Clementia adversus pravos, est crudelitas adversus Bonos: Quandoquidem, qui parcie lupo, nocet ovi.

Jam equidem ultrò fatemur, quod varix possint *Arg. 3. quæ species.* dari Mansuetudinis species; tamen instituti nostri rationi suffecerit, si dixerò, quod Mansuetudo alia sit Ficta, alia sit Vera & Genuina.

Certè Hominum multorum natura in multis scœpè *Ratio 1. membris.* tam fucata, tam callida, & alicujus rei tam subdola representatrix est, ut cùm præ se ferat speciem Mansuetudinis, & mollibus in vultu velut affectibus aliquem alere & allicere ad se incipiat; tamen in animo fel habeat infensissimum, ut verè Poëtæ canenti album cal- culum addere possim dùm canit;

<i>Omni rebus jam peractis</i>		<i>Verba lactis,</i>
<i>Nulla fides est in factis</i>		<i>Fraus in factis,</i>
<i>Mel in ore,</i>		<i>Verba butyri,</i>
<i>Fel in corde.</i>		<i>Corda angvina.</i>

Sic sunt, qui sese inimico tam favorabiles præbent, *Ratio 2.* ut quis aliter conijcere non possit, quàm quod ex inti- mo cordis affectu omnia promanent; Verùm interim

B id

id unicè student, ut omne virus acerbitatis in proximum evomere possint.

Ratio 3. Hi rectissimè comparari possunt cum auro subgrato, lepore dormiente, simià fucatà, gladio dolone; hi unâ manu ferunt lapidem, alterâ panem ostentant; sunt ut ij, qui flent ad movercæ tumulum.

Ratio. O Seductores! ô præstigiatores!

Ratio 2. membri. Hinc non existimavero, aliquem, an sit vera Mansuetudo? ambigere; cum constet eos, qui, concedente DEO, potestatem habent in subditos vitæ & necis, nullam præter officij iram exercere, & Reginam hanc Mansuetudinem, gemmis virtutum preciosissimis refertam, iisdemq; ornatam, amplecti, amare, & devenerari.

Arg. 4. à causa Efficiente. Jam si siscitetur quis à me, qui fons & quæ Origo, quæq; sit scaturigo hujus virtutis? sanè non abs re dixerò; Deus ter Opt: Max: ut omnis boni est largitor, sic etiam ad Mansuetudinem nos vocat; & insimul dixerò, quod naturalis inclinatio, bonaq; indoles, ad hanc virtutem perpoliendam, nos invitet; proba educatio & enutritio impellat; nec non usus & proba quotidianæ vitæ consuetudo nos excitet.

Ratio 1. Membri. Etenim, rerum omnium cacumina mentis indagine dum percurrimus, ingenuè fateri cogimur, omnia bona à Deo promanare, qui, sive statum Ecclesiasticum, sive Politicum, sive œconomicum cogitemus, omne bonum, velut ex uberrimo hoc fonte profluens, in omne vitæ nostræ genus, ubertim & confertim effundit.

Ratio 2. membri. Nec poterit quis vestrum dubitare, quin dicat, quosdam Naturæ instinctu Mansuetos esse, & hujus virtutis splendorem, in quibusdam animis, quasi à

bi a majo-

majorum generositate enasci; & esse, ut proximum
amare magnifaciant, & omnes cogitationes eò refe-
rant, ut ad hanc virtutem excolendam, summâ cum
delectatione & animi voluptate ferantur; Cùm contrâ
sint quidam naturæ tam perversæ, ut & proximo &
sibi damnum proprio studio & propriâ faciente iracû-
diâ inferant, & semet ipsos orco velut mactent.

Et quis à mente tam remotus est, qui non perspi-
ciat, educationem multùm Mansuetudini prodesse.

*Transf. &
membro.*

Sic exemplum nobis dedit Lycurgus Lacedemoni-
orum legislator, qui cùm sibi polliceretur, se Lacede-
monijs velle persuadere, liberos suos ut feliciter edu-
carent, duos catulos uterinos sumpsit, & alterum ad
venandum, alterum ad vorandum assuefecit: hinc olla
leporeq; in publico loco propositis, in medium pro-
duxit utrumq; eanem, quorum alter ferarum vesti-
gia odorari & sequi assuetus, pleno & incitato cursu
leporem insequabatur; alter, ad quidvis ciborum de-
vorandum assuefactus, motu velocissimo ad ollam se
referebat; quâ re visâ, Lycurgus, & hoc exemplo &
doctâ oratione cives edocere voluit, educatione bonâ
nihil esse laudabilius, nihilq; ad optimarum rerum
fructum conducibilius.

Ratio.

(1) *liber
inductus*

Sed scrupulum an poterit animo vestro injicere, cū
videamus quosdam liberos à parentibus genere & vir-
tute Nobilissimis ortos esse, qui tamen sæpenumerò
aliâ induere naturam deprehenduntur; Quosdam
insimul cognoscim9, à parentibus probè quidem in-
formatos, tamen in floridâ & profectiore ætate à Man-
suetudine, nescio quo imperio, deficere: Quosdam
quodq; intelligimus à Pædagogis sanè fideliter institu-
tos, tamen, prisca institutione contemptâ, in ferox
rue studium & iracundiâ fieri mancipium.

*Ratio 4a
per occup.*

*liber
inductus*

Rex solus.

Verum, ne res istiusmodi diversas cogitandi sollicitudines injiciat, ad consuetudinem volo ut respiciatis. Consuetudo vivendi si sit perversa, plus nocet malum exemplum, quam prodest sana doctrina. Sic picem qui tangit, inquinatur ab illa! Sic consuetudo mala in malam naturam degenerat! Sic mala consuetudo, mundi Catharma.

*Arg. 2. qua
Materia seu
objecti:*

De objecto Mansuetudinis quid dicam? rem ipsam ad Lydium, quod dicitur, lapidem cum retulero, non aliter dixerò, quam quod objectum internum sit Ira; & objectum externum sint ea, quae iram in animo hominis possunt concitare; veluti sunt, Iracundia, Damna, offensiones & contemptus.

*Ratio (1)
membri.*

Sanè, quid Ira non designat? est Ira vindictæ cupiditas: est ira ex calore iracundiæ quodvis facinus facile perpetrans: est uti sonat proverbium illud notabile,

In mundo mira faciunt iam munus & Ira.

Mollificant dura, pervertunt singula jura.

Est ira istiusmodi malum, ut verè scripserit Cato,

Impedit Ira animum, ne possit cernere verum.

Quod ne fiat, circa Iram sedandam & removendam tota versatur Mansuetudo, quando est instar instrumenti, quod omne genus illicitæ Iræ vult moderari; quo Mansuetudo sit malorum moderatrix, & odio flagrantium reconciliatrix.

*Ratio 2.
membri.*

Quid commemoravero? est Mansuetudo; sæpius injurias, damna, & offensiones placidè castigans; & licet sint, qui Mansuetudini surdas aures offerant; tamen qui nobilioris sunt ingenij, humanissimis sermonibus placantur, & quemadmodum infantes frequentiori fusu lac è papillis evocant; sic molliora verba generosos ingenui animi spiritus quasi demulcent, ut, quemadmodum Rex David ad verba prudentissimæ fo-

mine

mina Abichaelis placatus est; ita ex assidua & ponderosa commonefactione, optima indolis homines & offensiones relinquunt, & ab omni violentia abstineant.

Jam a vobis, A. I. sententiam hujus rei exquiro, dum *Ratio 6. membri.* Mansuetudinis objectum inter caetera esse dixi contemptum; an non huic opinioni favere, mihiq; tacite ad stipulari videmini? Sane fateri cogor, quod iniquo contemptu nil sit detestabilius, nil hac pestifera luce foecundius, unde scetet omnium flagitiorum sentina, unde qui ita homines maledico dente arrodunt, Canes, Momi & Zoili vocantur: Verum Regina est Mansuetudo, quae publicae tranquillitatis studio saepius remittit veras injurias, & cum Germanis inquit, Gott behüte mich für die thatt/ dem Eügen wird wol rhadt. Sic turpe, per se diffuit.

Nec arbitror aliquem tantis Cimmeriorum tenebris *Arg. 6. Formae.* involutum inveniri, qui Philosopho, divino quasi acumine ingenij praedito, obstrepere non erubescat, hariolando; Mansuetudinis formam non consistere in mediocritate servanda circa iram in vindicando & puniendo.

Etenim Aquila illa Philosophorum Aristoteles, & *Ratio.* ejus affectus, non statuunt mediocritatem hanc repositam & reconditam esse in eorum animis, qui subito impetu praeter proarsin & cogitationem praconceptam, a vehementiori aliquo affectu abrumpuntur ad aliquid per bilis vehementiam perpetrandum, cujus postea eos poeniteat; Sed Mansuetus est animus, qui coercet affectus, ne impellant externa membra, ut contra bonum & aequum quicquam faciant; Est animus Mansuetus, qui ratione frenat impetus animi, non secus ac Pallas retrahit Achillem iratum ne gladium stringat.

Tam pulchra res cum sit Mansuetudo, silentio invol- *Arg. 7. d. Fines.*

vere non possum, Mansuetudinem statui Ecclesiastico
multum adferre utilitatis, Politico lucis, & œconomi-
co fructus.

Ratio Etenim, quotquot in Ecclesiâ Deum verâ religione
& Mansuetudine colunt; Idololatriam, Diabolicam il-
lam mentis cœcitatē ad perniciem hominum enatâ,
ex orbe Christiano legitimè veniunt everſam; & ex-
hortatio Verbi Divini Ministrorum, in eorum menti-
bus aculeum relinquit, ut nec in excessu, nec in defe-
ctu quicquam peccetur; Sed ex intimis cordium visce-
ribus Deum precantur, ut omnia fiant è justo Zelo,
hinc exaudiuntur piæ cantiones, quibz Deum placant,
quibus cor in pietate excitant; quibus pios Angelos in
sui custodiam invitant; ut sic Christianus sit, qui non
solùm lites non conciliat; sed etiam discordes ad con-
cordiam revocat; scandala, offensiones & cujuscunq;
generis suspiciones eliminat.

a. Hinc quis est, qui sensum in statum Politicum intē-
dit, qui non percipiat, Mansuetudinē, velut Reginam,
eundem omni ornatu tingere & collustrare? cū cer-
tum sit, regnante Mansuetudine conservari regiones,
arces, castella, & provincias immunes à bellorum im-
petu haberi; Civitates Mansuetudo non excindit, mu-
ros præter meritum non devastat; est omnibus amica,
pernoctat nobiscum, peregrinatur, rusticatur; Cū
contra, Mansuetudine è Repub. exulante, omnia in
Tyrannidem ruant, & præsentissimum meditentur
exitium.

Nec verò crediderim, aliquem eo dementiæ rapi, ut
neget, Mansuetudinem œconomiaē conducere, cū
certum sit, quando oculis nostris subjicimus eam fami-
liam & domum, in quâ Mansuetudo colitur, quod vi-
deamus, eam florere & vigere. Mansueti marito, pla-
cet

et Mansveta marita; & fructus pacati tori sunt liberi Mansveti; & sunt ipsi servi & ancillæ, quæ omnem diligentiam & obedientiam suis Mansvetis dominis libenter præstant.

o Sicco pede præterire non possum, præclara Mansvetudinis Effecta; quod videlicet Iracundiã moderatur, amicitiam fovet, *Arg. 9. ad*
proximum non lædit, sed unicuiq; suum tribuit. *Effecta.*

Sic concinnum & memorabile dictum Scriptura Sacra de modo in alendã Irã nobis reliquit, dùm inquit; Sol non occidat super Irã tuam: Et mandat, toties ignoscendum esse fratri, quotiescunq; deprecatus fuerit. *Ratio 1.*

Propterea, quid detestabilius, quã horrendum odij alere monstrum? quid DEo ingratius? quid naturæ horribilius? quid humano generi pestilentissimã hac lue magis nocivum? *Ratio.*

Amicitia, A. O. quis non percipit, quod emanet è Mansvetudine, fonte illo limpidissimo latè rivulos suos diffundente? & illa, aquam vitæ stillantem producit, quã proximo conglutinamur, ut idem sit velle, & idem nolle. *2.*

Et neminem tanto furore percitum existimo, qui mente animoq; cogitare non possit; Mansvetos nemini detrimenta, infortunia & incommoda parare; sed mala, portitori Acharonti ad aquas infernales deportanda committere: *3.*

Nec est, quod Mansvetudinis dexteritatem in distribuendo commemorem, cùm illa ipsa naturali fulgore splendeat; cùm Mansvetudine regnante, mali bonis non exæquentur; non præferantur; non primas teneat adulator, non secundas habeat sy-cophanta; non malevolus tertias; sed Mansvetudine distribuyente unicuiq; quod suum est, Respub. florent, in honore est virtus, vitia contemptui habentur, & ad Reip. clavum sedent Boni, minusq; peccare audent mali. *4.*

Hinc quis est, cui liquidò non constet, Mansvetos omni laude circumfluere, nullo unquam vitæ suæ curriculo manus violentas sibi inferre, nec scelorum perpetratorum furore jaçtari, nec graves & horrendos anhelitus ducere, sed quæcunq; terrarum regio eos accipiat, conscientia blandè fovente jugiter recreari? *Arg. 9. ad*
Adjunctio.

Sic in proverbium abiit, quod Mansvetudo, Cæsarẽ Deum fecerit; quod Mansvetudo, Augustum Dijs consecraverit; quod Mansvetudo, Conradum Imperatorem moverit, ut eum æternã *Ratio 1.*
Nomi-

Homini sui deprecatione parceret Gualfo, Duci Bavarix, & exteris Nobilibus, ubi permissum erat mulieribus, ut ex arce obsessa discederent, & secum asportarent, quantum quæque posset gestare; ubi pax illarum mulieres, suos maritos & liberos ex humeris dependentes asportare sunt visa.

Sed quis est, cui non constet; Mansuetos, malæ conscientix mucrone non vulnerari, cum factorum præteritorum, & rectè omnibus vitæ gestorum, jucundissima requies & solamen eorum sit Conscientia? Quid dulcius istiusmodi conscientix, quæ neq; damna, neq; verborum contumelias, neq; aliud quidquam formidat? Est bona Conscientia titulus tranquillitatis, templum quietis, ager voluptatis, hortus deliciarum, auream declinatorium, gaudium omnium Bonorum. Contrà, quorum conscientia cæco verbere cœditur, illi animi doloribus sauciati præ se ferunt signa tremenda.

Occupatio.

Sed obijciat quis forsitan, quosdam inveniri, qui nullum indicium malæ conscientix, aut graves anhelitus ostendunt, & tamen quævis extrema sibi ipsi intentant.

Solutio.

Cui quidem responsi loco dederò, eos intrinsecus horrendum conscientix monstrum alere, quod vires, nervos, omniumq; membrorum venulas pertransit, debiles reddit & exsiccat; hoc modo enervata membra levamen non querunt, sed cum pacis turbatore, proditore illo Judæ, de gratiâ DEI diffidente, sibi inferni fenestras ipsi pandunt.

Arg. 10. d.

cognatio.

Ratio.

Cum contra Mansuetudo plurimum beet, & cum eâ faciat Pietas, Modestia, Magnanimitas; & ut verbo complectar, omnes quæ sunt virtutes.

Ut enim statua & columna, in centro ædificij alicujus erecta, omnes ædificij angulos æqualiter firmat, & competit pavimento, tecto, totiq; ædificio; Sic Mansuetudo est instar fulcri reliquarum virtutum, quo compinguntur, quo uniantur.

Arg. 11. d.

pug.

Ratio 1.

Sed non erit, qui mente secum reputet, Mansuetudinem sine contrariis esse posse, cum multa extrema ei contrariantur.

Sic enim sunt homines Iracundi, qui quævis de causâ statim pugnis differere incipiunt, & in Sphæristerio suo magis plagosi sunt, quàm orbili quispiam.

Ratio 2.

Sunt homines Acerbi, qui licet arma deposuerint, tamen animum retinent iratum.

Ratio 3.

Sunt multi Sangvinarii, qui, non nisi alterius Sangvine effuso, gaudent; quandoquidem,

*Ira movet rixas, rixæ vertuntur in Ensem,
Ensis vulnus agit, tibi dant & vulnera mortem.*

Peroratio.

Ujusq; repetitio.

Amplificatio.

Pro.

Quæ cum ita sint, A. O. Mansuetudinem propter divinâ ac singularem indolè, studiosè queram; quæ sit atq; inventâ propter insignes dotes, & summam jucunditatem, quam suis cultoribus affert, diligamus eâq; perfruemur.

Nazarenus versus omni laude sunt dignissimi, quando scripsit,

*Si scis alijs te debere mortalibus,
Vigilantibus tibi navos tuos remittere,
In alios & tu utaris Mansuetudine.*

Affertum.

magis.

Quod ut faciamus, o æternè DEUS, juva nos Spiritu tuo Sacrosancto; & da, ut semper cogitemus, quod hominem Christianum nihil magis commendet, quàm Mansuetudo.